

Andravi, Joseph-Etienne - candidat /
Dubois-Foucou, Jean-Joseph -
président. - [De gengivarum
excisione]

1781.

*Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
necnon Academiae Typographi,
viâ Cithareâ,*

Cote : ms 2345, n°4



D. O. M.

POSITIONES ANATOMICÆ

ET

CHIRURGICÆ.

I.

E SINU MATERNO nondùm eliminatur infans, jam verò sibi in posterùm necessaria, pro diversi generis victu, organa præparantur. Delineata scilicet apparent dentis rudimenta, quæquidem gelatinam vasculis intextam tunc assimilant.

A



I I.

IN margine utriusque maxillæ fœtus vel infantuli, sub formâ vesiculæ, sive folliculi, dentis cujusque futuri inchoamentum sese offert. Circâ quintum sextumve gestationis mensem, hi folliculi osseis septis jam separantur.

I I I.

CELLULOSIS filamentis, arterioliis, venulis, & nervulis gelatinâ commixtis folliculus quisque penetratur; numerosis autem quam tranant vasis gelatina exhalatur.

I V.

ALVEOLIS, periosteo ac gingivis undiquè totus hic germinum apparatus incarceratur.

V.

PRO variis intervallis dens gelatinosus solidescit.

V I.

ADVENTITIÏ apicis, seu coronæ dentis, ut aiunt, primùm, colli dein, radicis tandem vasorum ope terrea materies advehitur; cujusquidem moleculæ attractionis continuâ vi aggregatæ mucoso quo natant humore coadunantur. Quidquid fluidioris sensim evanescit, sicque lentiori, citiorive gradu ossea divities comparatur. Ea est pro quolibet dente naturæ constans & equalis actio.

V I I.

Ex peripheriâ versùs centrum mollis dentium corporis gelatina paulatim in solidam abit. Undè primigenium encaustum apparet.

V I I I.

DENTIS corpore propemodùm absoluto, radix adhuc desideratur.

I X.

RADICIS ossificatione vix inchoatâ, dens ad alveoli exteriora ferius ociùsve tendit. Hic mirus lentè prudenterque festinantis naturæ labor non nisi post longo intervallo penitùs absolvitur.

X.

DENTES uniuscujusque classis alternis vicibus ex alveolis ordinatim erumpunt: circa septimum mensem primi incisores, maxillæ inferioris ut plurimùm; alii verò vicissim suo ordine apparent, si caninos excipias qui primis molaribus sæpiùs sint origine posteriores. Sed in instabili frequenterque vagâ dentium eruptione certam & constantem epocham assignare non licet.

X I.

DIFFICILI dentium eruptione plùs minùsve graves apud infantulos morbi procreantur.

X I I.

Sic prænuntiatur dentium exitus : gingivæ tument & dolent , os ardet , copiosior saliva fluit , siti laborat infans , anxius clamitat , calida fastidit alimenta , fame tandem & fomno privatur.

X I I I.

IN laboriosâ dentium eruptione symptomata ingravescent ; febris , vomitus , alvi tormina profluviumque , convulsivi motus etiam conjunctim modò , modò seorsim accedunt.

X I V.

DENSIORI , nimumque renitenti gingivarum textui , nec non citiori dentis accretioni , prædicta accidentia plerique tribuere Practici. Nervos in dolore molliores , debiliorem , aut validiorem infantuli habitum , vel etiam hæreditariam labem nonnulli incusârunt. Alii tandem insalubri victui , plethoræ cuilibet , humorum acrimoniæ , nutritiive succi abundantia accidentium causas delegârunt.

X V.

HISCE de causâ mali excogitatis , gingivas emollientibus relaxare , quin etiam eas incidere venit in mentem , ut , soluto retinaculo , facilius denti exitus præberetur. Alia propemodum innumera omittamus remedia , cum de Chirurgicis tantum hæc agatur.

X V I.

GINGIVÆ sectionis auxilio obstaculum frangere non semel, sed frustra, Chirurghi tentârunt. Incisione enim prudenter institutâ, nec symptomata debellari, nec etiam ab orci faucibus infantulos eripi pluries expertis constat.

X V I I.

DENTIS ægrè prodeuntis extractio à nonnullis proposita tanquàm malo pejor prorsùs rejiciatur.

X V I I I.

NON nisi incertam aut vanam, adversùs dentium eruptionis accidentia medelam, tùm medica, tùm chirurgica Therapeutice hùc usque adhibuisse videtur.

X I X.

QUIBUS de inefficaci medelâ positis, gingivarum excisionem simplici earum sectioni anteponendam autumamus, celebrandamque asserimus.

X X.

GINGIVÆ portiunculâ quâ corona dentis obtegitur ademptâ, partium renixus aufertur, amplior faciliorque via statim fit: hinc gingivæ detumescunt; nervorumque distentio ac irritatio cessant. Hinc etiam totius œconomix conditio ad meliorem reducitur.

X X I.

PROMINENTIA versùs apicem albidâ , ad basim verò rubefcente , mox erupturi dentis simul ac mali sedes satis designatur ; ibique excisionem celebrare operæ pretium est.

X X I I.

In excisione propositâ hæmorrhagiæ metus exulet.

X X I I I.

MODERATA sanguinis effusio hîc desideratur , operationique favet. Locales , necne , sanguinis missiones in hisce casibus præcipuè suadent *Sydenham* , aliique artis medendi Antistites. Quodnam enim , inquirunt , efficacius præsentiusque difficili dentitione laborantibus infantulis , nisi per depleta vasa , remedium afferre valeamus ? Quod si , peractâ excisione , sanguis immoderatiùs efflueret , molli compressione absque negotio mox sisteretur.

X X I V.

Post gingivarum excisionem vulnus brevi sanescit. Ex omnibus hisce argumentis , in difficiliore dentium eruptione tanquàm præstantior habeatur , instituaturque excisionis usus.

HAS positiones , DEO JUVANTE , & Præside M. JOANNE-JOSEPHO DUBOIS-FOUCOU , Odontiatro , Artium & Chirurgia Magistro , tueri conabitur JOSEPHUS-STEPHANUS ANDRAVI , è loco Barème , Diœcesis Sanitiensis , in almâ

7
*Universitate Parifensi Artium Magifler, nec non Facultatis
Medicæ Nanceianæ Doct̄or.*

*Die Sabbati, 13 Oñobris, anno Salutis 1781, à feſqui-ſecundá
poſt meridiem ad ſeptimam.*

IN REGIIS CHIRURGORUM PARISIENSIIUM
SCHOLIS,
PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ
Collegii necnon Academiæ Typographi, viâ Cithareâ.


M. D C C. L X X I.

Universitatis Parisiensis, in Regibus, et in
Scolis, et in omnibus, et singulis, et in

Universitatibus, et in omnibus, et singulis, et in
Scolis, et in omnibus, et singulis, et in

IN REGIBUS CHIRURGORUM PARISIENSIS
SCHOLIS,

PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA



IN REGIBUS CHIRURGORUM PARISIENSIS
SCHOLIS,

M. DC. CXXI